Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 683
Quelle:
Copyright:

dex, manu ſcriptum, olimque, ſed minus caſtigate impreſſum T. I. *Opp. Bedae* edit. *Colon.* 1688. f. *col.* 449.

Nobilibus quondam fueras conſtructa patronis,
Subdita nunc ſeruis heu male Roma ruis.
Deſeruere tui tanto te tempore reges,
Ceſſit et ad grecos nomen honosque tuus.
Conſtantinopolis florens noua Roma uocatur.
Moribus et muris Roma uetuſta cadis.
Tranſiit imperium, manſitque ſuperbia tecum,
Cultus auaricię te nimium ſuperat.
Vulgus ab extremis diſtractum partibus orbis;
Seruorum ſerui nunc tibi ſunt domini.
In te nobilium rectorum nemo remanſit,
Ingenuique tui rura pelasga colunt.
Truncaſti uiuos crudeli uulnere Sanctos,
Vendere nunc horum mortua membra ſoles.
Jam ni te meritum Petri Paulique foueret,
Tempore iam longo Roma miſella fores.

Duo, quae moneam, ſuperſunt. Primo: obſcuriſſima illa *Epigrammata* ſupra allata videri fuiſſe in Codice graeco, quo *Johannes* interpres uſus eſt, ſingulis Libris inſtar *Summariorum* praefixa, atque ab eo, prout poterat, latine ſimul reddita. Secundo: ad emendandam *Johannis* Verſionem, ut impreſſa legitur, *Codicem* noſtrum maxime utilem fore, niſi eam ſupervacaneam feciſſent cum aliae recentiores, tum maxime *Corderiana* interpretatio, e cujus Viri editione *Antverp.* 1634. T. II. f. ita *Pſeudodionyſium* habemus, ut, teſte *Oudino* T. I. *col.* 1371. impoſterum inutilem prorſus laborem ſuſciperet, qui argumentum idem aggrederetur.

CCXVIII. IX. g. 20.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 97. 4. partim lineis longis, partim per duas columnas ſat nitide exaratus et rubricis diſtinctus, olim *Joh. Sambuci* continet. I. *Dionyſio Areopagitae* ſubpoſita Opera latine reddita a *Joh.* dicto *Scoto Erigena* dicataque *Carolo Calvo* Imp. ut habes *Cod.* praeced. quo eadem retulimus. Initium in praeſenti ducitur a *Praefatione* ad *Carolum* proſaica illa, quam *Jac. Uſſerius* p. 41. *Sylloges Vet. Epiſtolar. Hibern.* vulgavit. Praeeunt vero et *Carmina* ab eodem p. 40. edita, ita tamen extrita, ut e ſolis paene literis initiorum agnoſcantur. *Praefationem* excipiunt 12. *Diſticha*, quae incipiunt: *Lumine ſidereo* &c.